



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Decisio I. De Unicate Religionis, & Fidei Catholicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

# TITULUS I.

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

## DECISIO I.

De Unicitate Religionis, & Fidei Catholicæ.

### SPECIES FACTI.



**C**um aliquot abhinc annis Serenissima Princeps Wollfenbiteliana, Elisabetha Christina, Serenissimo Archiduci Austriae, nunc Augustissimo, & Gloriosissimo Imperatori, nuptura à Lutheranismò ad Catholicam Religionem maturò consiliò & generosa pietate transiisset, lis inter Protestantium Doctores orta est, an tutà conscientia & circa salutis periculum id facere potuisset, affirmantibus quibusdam, negantibus alijs: ex prioribus Fabricius quidam, Altdorfii & Helmstadii Professor, gloriosum hunc transitum publicò scriptò defendit, & Regiam Sponsam, summis naturæ dotibus ornatam, ab omni labe ac salutis discrimine absolvit ex eo capite, quòd etiam in Catholica Religione salutem consequi pos-

(R. P. Pichler Decisiones.)

set; cum Catholici non minus, ac Protestantes (Lutherani & Calvinistæ) præcipuos Fidei Christianæ articulos, nimirum de SS. Trinitate & Christo Redemptore teneant ac profiteantur, quòd ad salutem sufficere putabat, licet quoad alios Fidei articulos minus principales, qui ad Fidei Christianæ fundamentum non pertinent, inter harum Religionum alumnos differentia sit & dissidium. Simile quid ante Fabricium docuere Erasmus Rotterodamus, Marcus Antonius de Dominis, Georgius Cassander, Bernardinus Ochinus, Joannes Crocius, Georgius Calixtus, Thomas Hobbesius, & alii, quos Sectarii moderatos Theologos appellant, vel Syncretistas, vel Adiaforistas, vel, uti & nos cum ipsis, Indifferentistas, quales inter Confessionistas seu Lutheranos ego quon-

A dam,

dam, facularis adhuc, complures reperiri propriâ experientiâ didici. Imò non desunt Heterodoxorum aula, ut mihi retulit vir doctus & insigniter probus, qui relicto Lutheranismò & honorifico in Castris munere ad Romana transit Sacra, in quibus Principum liberi educantur secundùm principia Indifferentismi, ne scilicet scrupu-

losè nimis arctata Religio splendidis cum tempore Matrimonii obstet, vel alteri propitiâ forti. Neque vanam credo suspensionem esse, quàm plurimos ex modernis Sectariis lactari hac inani spe, quòd quilibet in sua Religione, sive ea Catholica sit, sive Lutherana, aut Calviniana, salvari valeat. Proinde

### QUÆRITUR,

*An omnes, qui præcipuos Fidei Christianæ articulos de SS. Trinitate & Christo distinctè credunt, salutem consequi possint, sive Catholici, sive Lutherani, sive Calvinistæ sint?*

### Rationes dubitandi.

**P**RO Fabricio & Indifferentistis facere videtur I. Scriptura sacra, quæ Joan. 3. v. 15. docet, quòd *omnis, qui credit in ipsum* (scilicet Christum) *non pereat, sed vitam æternam habeat.* Item Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum verum DEUM, & quem misisti JESUM Christum.* Latro in Cruce nihil aliud credidit, quàm Christum, & tamen fuit salvatus; ergo & omnes alii, qui credunt in Christum, salvabuntur. II. Etiam in Primitiva Ecclesia fuerunt dissensiones inter Christianos, imò & cum Apostolis, ac inter ipsos Apostolos, & tamen nemo damnavit dissidentes à se, ut patet ex 1. Cor. 1. 3. *Actis Apost. c. 11, 15, Gal. 2.* ergo nec nos debemus damnare eos, qui in quibusdam duntaxat à nobis dissentiunt. III. Quæ Christus voluit esse libera creditu, non

possunt ab Ecclesia obrudi tanquam necessariò credenda: sed, quæ inter Christianos, scilicet inter Catholicos & Heterodoxos, controversa sunt, Christus voluit esse libera creditu, utpote nec in Scripturis clarè satis expressa, nec à primis fidelibus credita, uti de reali Christi præsentia in Eucharistia, & quidem sine panis substantia, de confessione Sacramentali, cultu imaginum, invocatione Sanctorum, Purgatorio, Calbatu Sacerdotum &c. IV. Plurimi ex Protestantibus sunt moratissimi: ergo credibile non est, quòd propter dissensum paucorum articulorum æternùm pereant. V. Qui credit in SS. Trinitatem & in Christum Redemptorem: qui ex Decalogo discit, quomodo se gerere debeat erga Deum & proximum: qui novit per orationem Dominicam, quomodo sit oran-

orandum : qui baptizatus utitur Cœnâ Domini : qui credit Ecclesiâ Christianâ ministris concessam esse à Christo potestatem pœnitentibus remissionem peccatorum denunciandi, vel faciendi, qui, inquam, ista credit & facit, ille habet fundamentum Fidei & Salutis : Sed hæc omnia credunt & faciunt tam Protestantes quàm Romano-Catholici : ergo tam illi, quàm isti possunt salvari. VI. Ubi est fundamentalis Fidei unitas, ibi est vera Fides : sed apud Christianos omnes, sive Catholici sint, sive Protestantes, est fundamentalis Fidei unitas, seu fundamentum Fidei, quod est Christus JESUS juxta 1. Cor. 3. ibi : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus JESUS.* Illa

## Rationes decidendi.

AT verò his & similibus insuper habitis certa ac indubitata est veritas, unam unicam Fidem seu Religionem ex iis, quæ Christiano etiam nomine gloriantur, & principiores de Christo articulos profitentur, salvificam esse. Id quod demonstratur I. ad hominem ex Scriptura Sacra, ex qua sola, quæ fidei sunt, probari volunt adversarii. S. Paulus *Eph. 4. v. 4.* pronuntiat : *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium* : ergo juxta Oraculum Apostoli æquè necessarium est dari unicam tantum Fidem, seu Religionem veram, quàm unum dari Deum, unum Dominum, à quo vera Religio provenire & dirigi debet : atqui in di-

autem, in quibus dissentiant, sunt velut *fœnum, stipule, ligna*, quæ superædificantur fundamento Fidei, & charitatem quidem lædere possunt, unitatem tamen Fidei fundamentalem non tollunt : ergo. VII. Etiam inter Catholicos D.D. est dissidium circa doctrinas Fidei, & materias Theologicas, v. g. de Gratia & Libertate, de Prædestinatione &c. citra præjudicium fundamenti Fidei ac Salutis, uti ipsi met fatentur, nempe inter Thomistas, Scotistas, & Jesuitas, item cum Jansenistis, uti vocant : ergo etiam potest esse dissidium circa minoris momenti articulos Fidei, qui SS. Trinitatem & Christum non concernunt, inter Catholicos & Protestantes citra præjudicium fundamenti Fidei & Salutis.

versis Sectis, licet præcipuos de Christo & SS. Trinitate articulos credant, alia tamen diversa dogmata tenentibus, non est una eademque Fides : neque Lutherani fatebuntur, unam eandemque Fidem se habere cum Calvinistis, nec isti cum illis, aut cum Catholicis, licet credant singuli præcipua de Christo mysteria ; nam *Fides* hîc sumitur objectivè pro complexo veritatum & dogmatum à Deo revelatorum, consequenter necessariò credendorum juxta illud *Rom. 1. Fides vestra annuntiat in Universo Mundo, & Symboli S. Athanasii ab adversariis etiam recepti, quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem, quam nisi quisque*

*integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit. Confirmatur: ut aliquis salvetur, non sufficit servare tria vel quatuor mandata Dei principaliora, sed necesse est servare omnia, quicumque totam Legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides. Jac.*

2. Quia nempe violans unum mandatum, totius Legis contemnit Auctorem: ergo & qui unicum articulum, qualiscunque fuerit, à Deo revelatum scienter negaverit, contemnit totius Fidei Auctorem, & sic ei placere, ac salvari nequit.

Demonstratur II. ex ratione: falsa Fides idem est, ac nulla Fides: sed, qui nullam habet Fidem, utique salvari non potest; ergo neque, qui falsam: atqui ex pluribus Christianorum sectis diversa credentibus omnes sunt falsæ præter unicam: ergo non nisi in unica datur Salus. *Subsumptum* ostenditur: implicat, ut plures Fides è diametro sibi oppositæ, & contradictoria tenentes dogmata, sint veræ: sed plures Fides Christianorum, nempe Lutheranorum, Calvinistarum, Indifferentistarum, & Catholicorum, licet rectè sentiant de SS. Trinitate, Christi Divinitate, Humanitate &c. & sic præcipuos credant Fidei Christianæ articulos, sunt oppositæ, creduntque contradictoria, v. g. Catholici credunt *Septem Sacramenta: Christum esse verè presentem in Eucharistia sub speciebus panis & vini: unicam dari tantum, quæ suos cultores faciat salvos,*

*Religionem*, videlicet Catholicam: hæc autem dogmata negant, & contradictorium docent sectæ aliæ, nam primum negant Lutherani, secundum Calvinistæ, tertium Indifferentistæ: adeoque quod una Religio affirmat, altera negat.

Demonstratur III. Ex natura Fidei Divinæ, quæ essentialiter exigit, ut credantur saltem implicite omnes articuli à Deo revelati, sine distinctione inter præcipuos de Christo & SS. Trinitate, quos vocant *substantiales*; & inter alios, quos pro *accidentalibus* habent Indifferentistæ; repugnat enim Synceræ Fidei ac Divinæ, ut Deo plures articulos revelanti credatur in quibusdam, & in aliis non credatur: neque est possibile, ut Deus aliquas veritates revelet & asserat, liberum tamen relinquat hominibus credere vel non credere; nec enim ita auctoritatem suam prostituere potest Deus, permittendo, ut sibi non credatur in rebus minoris momenti, quasi in his fallere posset. Quicumque igitur Fidem habet Divinam, nec sibi potius, quam Deo, credit, debet habere hunc actum: *credo omnia, quæ Deus revelavit*: sed qui tantum putat se obligari ad credendos majoris momenti articulos, aliorum verò Fidem arbitrariam esse & liberam, imò aliquos negat, licet sufficienter revelatos, non habet hunc actum, vel si habet, sibi ipsi contradicit, & tenet Fidem prorsus chymericam; sic enim tendit: *ego credo omnia à Deo revelata: &: aliquid, vel aliqua, à Deo*

Deo revelata non credo. Confirmatur: Motivum actus Fidei Divinæ, quo niti debet, est auctoritas Dei revelantis: sed hæc non minus certos facit articulos circa res minoris dignitatis, quàm illos, quos vocat præcipuos & substantiales: nec minus spernitur auctoritas Dei, si ipsi negetur assensus, dum res parvas revelat & testatur, quàm dum majores affirmat. Insto: ex nullo capite Adversarii probare possunt, Deum esse contentum, si credantur tantum articuli præcipui de Christo & SS. Trinitate, vel quos vocant substantiales & fundamentales, neglectis aliis, licet pari certitudine revelatis: Non ex *S. Scriptura*, quia hæc nullibi distinctionem facit inter articulos præcipuos & substantiales, de his tantum exigendò Fidem, non de aliis: nec ex *declaratione Ecclesie*, quia Indifferentistæ hanc volunt esse constatam ex pluribus sectis, quarum nulla cum altera convenit, sed hæc istud, alia aliud necessariò credendum clamat: neque ex *Spiritu privato* cujuslibet hominis particularis, quia hic spiritus est infamis errorum magister, & omnium dissensionum origo: ergo prorsus irrationabiliter tantum aliquos articulos tanquam necessariò credendos obtrudunt, alios verò credentium arbitrio relinquunt.

Demonstratur IV. Ex absurdis sequelis: si enim ad salutem sufficit credere præcipuos de SS. Trinitate & Christo articulos, sequitur 1. salvari potuisse & adhuc posse Pelagianos,

qui negabant peccatum Originale & gratiam internam: Novatianos, qui lapsos ad Pœnitentiam admittendos esse inficiabantur: item illos, qui negarent Baptismum & omnia Sacramenta &c. Sequitur 2. malè fecisse S. Paulum, quòd à salute per Christum obtinenda exclusit Galatas, eò quòd crederent erroneè, præter Fidem in Christum etiam necessariam esse Circumcisionem, dum *Gal. 5.* pronuntiavit: *quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Sequitur 3. pessimè fecisse progenitores Indifferentistarum, ex quibus velut ex ovo malo infusa soboles progenerati sunt, scilicet Lutherum ejusque affectas, quòd à Romana Ecclesia perduelles defecerint; si enim quilibet Christianus, præcipuos de Christo articulos credens, quales ipsorum quoque confessione sunt etiam Catholici, salvari possit, quid opus fuit tam miserabili scissione, à qua tot ac tam diuturna bella, lites, seditiones, rebelliones, factiones, mutua persecutiones, aliæque innumera mala in Rempubliam Christianam & Nationem Germanicam profluxerunt? Quo jure Majores ipsorum rapuerunt tot bona & ditiones Ecclesiasticas? quo titulo tot templa, monasteria, & integras dioceses ac provincias suis possessoribus eripuerunt ob dissensionem in fide; cum antiqua Religio Christiana & Romana æquè ad salutem suos cultores perduxerit etiam ipsis affirmantibus, ac recens introductæ Sectæ? Confirmatur: Indifferentistæ

prorsus imprudenter agunt, dum & ipsi fatentur, in Ecclesia Romanæ Fide salutem obtineri posse; Indifferentissimum verò ad salutem sufficere non modò negant Romano-Catholici, sed etiam plerique Sectarii, Lu-

therani & Calvinistæ; atque sic viam prorsus incertam ad cœlum præ alia longè certiore, quam & ipsi & Catholici pro certa habent, stolidè eligunt.

### Occurritur Rationibus dubitandi.

**A**d has non est difficilis responsio. Ad 1. Hi & similes textus probant quidem, necessariam esse Fidem in unum Deum, & Christum Redemptorem, non tamen probant eam sufficere; aliàs nec necessarium foret credere in Spiritum S. Neque opus foret credere Unam, Sanctam, Ecclesiam Catholicam, ut tamen præcipit Symbolum Apostolorum, quod Adversarii quoque amplectuntur, & c. firmiter 1. §. una b. t. ibi: *una verò est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Imò Christus ipse dixit: *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus & Publicanus.* Mat. 18. Ethnici autem utique non salvantur in sua Fide. Lathro in Cruce solum quidem Christum explicitè confessus est, reliquos verò articulos implicitè, sibi non satis propositos: aliàs dicendum foret, quòd nec in SS. Trinitatem crediderit; quòd tamen Adversarii quoque requirunt. Ille nullum negavit articulum revelatum; Indifferentistæ autem tribuunt salutem etiam negantibus aliquos articulos sufficienter revelatos, v. g. negantibus præsentiam Christi in Eucharistia, Purgatorium &c. Ad 2. Schisma &

diffensio fidelium, de qua sermo est 1. Cor. 1. 3. non erat circa res Fidei, sed circa præstantiam eorum, à quibus sibi Evangelium est prædicatum, dum hi dicebant, *ego sum Pauli*, alii, *ego Apollo*, alii, *ego Cephe*, scilicet Petri; nam Paulus, Apollo, Petrus eandem Fidem prædicarunt. Petrum quidem Act. 11. arguebant fideles ex Judæis conversi, non dissidentes ab eo in Fide, sed scandalizati ex infirmitate & ignorantia in facto Petri, quòd cum Gentilibus manducaverit, quos Judæi averfabantur ut impuros, ignari adhuc, leges olim Judæis datas per Evangelium esse sublatas. Diffensio Apostolorum, de qua Act. 15. an adhuc observanda esset Lex Mosaica præcipuè quoad Circumcisionem, non erat de articulo Fidei; quia tunc nondum erat definitum & pro articulo Fidei declaratum, legem Mosaicam & Circumcisionem esse extinctam. Licitum est dubitare & disputare de Rebus Fidei, in Scriptura clarè non expressis, antequam clarè pro articulis Fidei sunt declarata ab Ecclesia, quam Christus voluit esse columnam & Magistram veritatis infallibilem circa res Fidei.

1. Tim.

1. *Tim. 3. v. 15.* Neque Paulus restitit Petro *Gal. 2.* in re Fidei, sed solum improbabat aliquod factum illius morale, dum quasdam ceremonias in gratiam Judæorum retinebat: & propter hanc dissensionem Pauli Petrus congregavit postea Concilium, & hanc controversiam terminavit, pridus nondum decisam. Ad 3. *N. Min.* hoc ipso, quod Christus vel in Scripturis, vel per definitionem Ecclesiæ, aliqua nobis revelet satis, necessarium nos obligat ad ista credenda, sic exigente infinita ejus Veracitate, quæ non minus infallibilis est in parvis quam in magnis. Articuli de præsentia Christi in Eucharistia, de Confessione Sacramentali, cultu Imaginum, invocatione Sanctorum, & Purgatorio, qui pro exemplo fuerunt adducti, sunt in scripturis sufficienter revelati, saltem accedente declaratione Ecclesiæ, & jam crediti in primitiva Ecclesia. Coelibatus non quidem à Christo, sed ab Ecclesia præceptus est, & quidem ab initio statim, nec est Fidei articulus, sed Ecclesiæ præceptum, cui obediri voluit ipse Christus *Matth. 18.* Ad 4. *Trans. Ant.* (nam sæpe sunt tantum sepulchra dealbata) *N. Conf.* vel *dist.* non est credibile, quod æternum perirent, si dissentiant ex errore invincibili. *C. Conf.* si ex errore vincibili & pertinaci, quem nimirum satis agnoscunt, & ideo deponere tenentur, nec tamen ex pertinacia deponunt. *N. Conf.* Ad 5. *N. Ma.* ex quo enim fundamento asseritur, solum ista quin-

que puncta esse credenda & facienda? Deinde etiam *N. Min.* nam Catholici non conveniunt cum Protestantibus in dictis quinque punctis; non enim docent, quod ex Decalogo tantum discamus, quomodo nos gerere debeamus erga Deum & proximum, sed quod opere ipso observanda sint Decalogi præcepta: neque quod Sacerdotes tantum habeant potestatem denuntiandi remissionem peccatorum, sed verè remittendi peccata juxta illud Christi, *quorum remisistis peccata &c. Jo. 20.* Ad 6. *Ma.* indigeret explanatione, & si Fabricius velit, uti velle ex ejus principiis conjicitur, quod fundamentalis Fidei unitas, seu fundamentum Fidei, consistat in eo, quod credantur præcipui de Christo & SS. Trinitate articuli, negatur *Ma.* Deinde & *Min.* est falsa; non enim *scænum, stipula, ligna*, quæ fundamentum & unitatem Fidei non convellant, sunt articuli inter Catholicos & Protestantes controversi, v. g. de Eucharistia, Confessione Sacramentali, Absolutione à peccatis, observatione Mandatorum Dei, visibilitate & infallibilitate Ecclesiæ, Verbo Dei scripto & tradito, cultu Religioso & invocatione Sanctorum &c. si enim hujusmodi non pertineant ad fundamentum, & fundamentalem Fidei unitatem, nescio, quid ad eam pertineat, ac eam tandem tollere possit. Ad 7. Inter Catholicos non est dissidium de rebus & articulis Fidei sufficienter revelatis, definitis, & ad credendum ab universali Ecclesia pro-

positis,



positis, sed tantum de materiis Theologicis, in quibus licitum est dubitare, disputare, & dissentire, quamdiu pro articulis Fidei non sunt ab Ecclesia determinata: interim tamen omnes sunt, & debent esse parati acquiescere definitioni Ecclesiae, quamprimum haec fuerit secuta. Et quia Jansenista non acquieverunt, & hodie non acquiescunt, deserunt esse Catholici, habenturque pro Haereticis, ac à vera Fide devii, non minus ac Protestantes, consequenter, nisi resipiscant, caelo excludendis. Unde

patet, Fabricium, cum Religionem Catholicam & Protestantam, Christum & Beial, sociare nititur, fabricam suam arenae infelici conatu inaedificare, & dum utriusque Religionis aspectis salutem promittit, fabricare pontem, qui sub pedibus incendientium ruit, cum quo transire volentes in profundum Inferni prolantur. Qui hac de re plura desiderat, meum *Cursum Theologiae Polemicæ* p. 1. *controv.* 1. art. 5. & 2. consulat.



TITU-